

# QUÆSTIO MEDICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris decimâ-quintâ Junii, 1703.*

## M. NICOLAO RAINSSANT Senatûs Parisiensis Medico ordinario, Doctore Medico Præside.

*An Partus humanus ut plurimùm laboriosus?*



I.

VIXDUM concipitur homo, & laborat, sive id mali pendeat ex principiorum Aristoteleorum, aut chymicorum, sive ex Hippocrateorum, & Galenicorum humorum sensibus magis obviorum intestino dissidio, & mutuo reciproco ve conflictu: quemadmodum ex horum omnium probè attemperatâ miscellâ, justâ harmoniâ, & symmetro concentu exoritur actionum integritas dicta sanitas bonorum cæterorum condimentum, quo mortalium generi à Deo præpotenti concessum nec melius, nec præstabilius, & quo nullo alio propiùs ad ipsum accedit Medicus, quàm hoc homini comparando, fovendo, servando, læso resarciendo, & amisso restituendo. Cui è Diametro opponitur causaria habitudo è vel minimo machinæ humanæ vitio atque defectu æstimanda, non secùs ac ab exiguâ flammulæ scintillâ maximum accrescit incendium, & ex levissimi erroris principio summum erratum in fine demùm evadit. Hinc temporum tractu atque decursu innumera miseris mortalibus incubuit laborum, & calamitatum cohors, & Ilias, ut ab unoquoque fingi, excogitari, imò & persentisci facilis, sic & recenseri inutilis. Adeo plus satis est ipsâ statim conflictari fœtum materni uteri ergastulis inclusum, inter urinas & stercora situm, ζωόφυτον, & ἔμβρυον tunc apprimè dictum utpote instar plantæ unâ matris precariâ vitâ potitum, quam postea brevem & ærumnosam in lucem editum animal tandem cæteris imperaturum à lacrymis, & vagitibus auspicatur, ut propterea patientissimi Job, & summi Dictatoris & Medicinæ parentis Hippocratis, aliorumque cordatorum sapientum meritò querelas evocarit.

II.

UTERUS Pars dissimilis, & organica, constans venis, arteriis, nervis, ligamentis, villis, membranis, partium abdomine contentarum situ, & loco infima, ob id ὑστέρα vocatur: hujus substantia quamvis in vacuâ muliere alba & membranea videatur, in fœtâ tamen plurimùm discrepat, eique

ſimilis in toto corpore non reperitur, eſt enim fungoſa, & ſpongiæ, vel pumici conſimilis, & foraminulenta, non tamen ſimplex, ſed in multos cortices inſtar boletorum arboribus adnaſcentium facilè dividua. In prægnatione provectâ duorum planè digitorum craſſitudinem æquat, maximè circa elatiorem fundi partem, in quam uterina vaſa coëunt, uterinumve jecur ſeu placenta ſecundis cohæret. De uteri cotyledonibus ſive acetabulis ambigitur à Galeno, & à neotericis anatomicis: præſertim verò à prioris hujus ætatis & ſæculi oculatiſſimo, diùque verſatiſſimo hyſterotomotoco Arantio, cui hæc vaſa cotylæ figuram accuratè, referentia antiquorum deſcriptioni planè conformia in ovillo tantùm & Caprillo genere vel ſuâ lynceâ perſpicaciâ detegere licuit, ni foramina ab oſculis vaſorum non longè ſemota acetabulorum, aut cotyledonum nomine utcumque inſignire libeat. Uterus porro quamdiu benè ſe habet, nobiliſſima ac propemodum divina faviſſa audit, ex quâ naturæ noſtræ theſauri conditi eruuntur, &, ubi fuerit opus, depromuntur, & quæ jure optimo merita ſit alterum animal appellari Quùm malè ſibi conſtat, quin potiori jure dicatur ferinum animal in animali malè mulctans mulierem. Ea propter ſentina muliebris dicta, quod cæterarum partium illuviem excipiat, & inde perperam commotæ camarinæ fœtura omnis, & origo tragica in utero, & ab utero.

III.

VULUÆ propria & peculiaris actio Conceptio ex amborum ſeminum exquiſitâ permixtione fit, unde exurgit primum naturæ generantis opus fœtus, cui continendo, & fovendo adeo acriter hoc vas incumbit, ut ejus oſculum firmiſſimè conſtrictum & clauſum ne acûs quidem aut ſpecilli cuſpidem admittat. Fit tamen ſuperfœtatio, ſeu nova conceptio à ſecundo & repetito jam gravidæ mulieris cum viro congreſſu, quæ quidem brutis animantibus incommoda, non item fœminis. Apage, qui in hoc generationis opere fœminam agens inæquale, & mare ſuppar & infirmius rati ſolum conceptaculum, ova ſola, & menſtruam unam materiem imbellem, nec feracem, & prolificam ſuppeditare aſſerunt, quive his contumelioſis appellationibus & barbaris anſam dedere animalis occaſionati, mutili, interceptæ, & affectæ, vulgò inchoatæ perfectionis. Indigniùs, qui naturæ errorem, & prævaricationem, inſuper portentum & monſtrum indigitant. Abſit ut tam pulchro, totque veneribus, Gratiis, & leporibus, exornato ſexui tantam injuriæ vim inferat hoc noſtrum Lemma. Dat itaque & locum, & materiam, & præterea efficientiſſimum principium genitivum, & hominis fabricam ſimul adornat ut architecta neceſſaria, ferè ad æquata viro, nec merè hujus acceſſoria, ut liquet ex frequentiori natorum cum matribus ſimilitudine. Uſque adeo verum eſt jure dictatorio pronunciare, ac decernere. In humano opificio vir & fœmina mutuam eamque actuoſiſſimam ſic ſibi tradunt operam, ut alter alterius paris concauſæ poſcat opem principem, & in hoc opus geminum æqualem ambo ſymbolam ultro perſolventes amaſiè conferant, maſculeum nempe, & fœmineum ſemen impartiendo. Si vero invitâ naturâ diverſæ ſpeciei animalia ſimul coëant inde orientur Fauni, Satyri, quos vano errore deluſa gentilitas pro Diis coluit, & cætera monſtra, oſtentave aut in naturæ ſtuporem, ignominiam, & turpitudinem; aut in ejuſdem aberrantis in ſexu ludibrium genita, (hinc hermaphroditi, & androgyni:) vera nonnulla, pleraque certè Mythologorum ſeu fabulatorum fictitia commenta: Et, ſi fortè vera, à naturâ iſtorum parum ſollicitâ, imò indignatâ, & ipſis iratâ ut partus illegitimi neglecti deſeruntur.

IV.

GRANDIOR fœtus, & ſuis omnibus organis abundè inſtructus, & abſolutus, & lucis uſuræ aptus, & maturus, copioſioris alimoniæ, nec non amplioris liberioriſue aëris indigus, vitæque propriæ, & ſui juris cupidus exiturit, cujus intenti compos ut evadat, tum ſe accingit ad motum, & calcitratu valido idemtidemque repetito ſui involucra membranas diſrumpens matrem adoritur, & ſæpe torpidam, ſuique officii oblitam admonet, ut viam ſibi paret, & ſuo pari conatu conniſu ve partum procuret, tuncque ingeminatâ communi utriuſque ſui ipſius & fœtæ oneris ſarcinâ nimio plus gravis ac diſtentæ contentione quâ datâ portâ ruens foras erumpit puellulus, & alterum aërem avens, & quæritans haurit, & exprimit, tum verè & genuinè reſpiraturus, & nutriendus. Si ex naturæ lege & inſtituto in caput ſeſe objiciat, tunc partus naturalis fit, perfecti nimirùm, & in utero prorſus abſoluti fœtûs excluſio, quocumque die, menſe, & horâ accidat. Ad hanc editionem non ſola deſideratur partium ſtructura & coagmentatio, (alioqui quaternario menſe contingens exitus partus audiret, quod abſurdum.) verùm & earum robur & firmitas in craſſitie, & corpulentiâ poſita, quam non ante ſeptimum menſem conſequitur Puſio, proindeque Exterricinei ſeu ab exterritæ matris aluo Embryi protemporiùs ejectio non partus, ſed eſt abortus, aut effluxus. Prior quidem ſi intempeſtivè foras erumpat, aut in utero extinguatur; poſterior, ſi ante texturæ conformationem genitura excernatur. Partus alius legitimus; illegitimus alius, legitimus ſtato tempore evenit, ferè ſemper nono menſe, interdum, ſed rarò ſeptimo. Illegitimus verò huic tempori prævius eſt, aut hujus ſuccedaneus. Octimeſtris ut plurimùm illegitimus habetur, quia vel ſeptimeſtrem retardat, vel nonimeſtrem antevertit. Menſis apud Aſtronomos triplex. Solaris unus; alius lunaris; alius communis vulgò Kalendarii Juliani. Solaris menſis is eſt, quo ſol triginta zodiaci gradus percurrit, conſtatque ſemper triginta diebus. Lunaris menſis duplex. Progreſſionis unus; apparitionis alter. Progreſſionis eſt ſpatium illud, quod ab uno lunæ cum ſole coitu uſque ad alterum intercedit, eſtque viginti novem dierum cum dimidio, & quadraginta quatuor minutis, ſynodicuſque vocatur. Menſis apparitionis conficit, & complet viginti ſeptem dies, demptis tribus, quibus luna lumen ſuum abdit, & utcumque ſilet, unde hoc ſpatium lunæ ſilentium dici amat. Menſis communis ſeu vulgaris Kalendarii Juliani diſpar numerus plus ſatis notus, non-ita menſis Hippocraticus, qui ſubdubius; & ſubobſcurus. Alii hunc lunarem aſſerunt; ſolarem alii, quibus poſtremis libentiùs aſſentimur. Namque ſeptimus menſis geminus alter incœptus centum octoginta dierum cum diei particulâ; alter completus ducentorum & decem dierum, qui calculus cum Hippocratis logiſmo, ideſt cenſu, & ſenſu magis convenit.

V.

PARTURIGINIS porro naturalis dicta fuit potiſſima conditio, ut fœtus caput offerat, unde ſæpiùs uſuvenit facilis, velox, & nullâ Symptomatum acerbitate ſtipata excluſio, modò non ſit macrocephalicus infans, tunc enim cerebri, totiuſque capitis amplior moles non leviter exitui officit. Quantò magis ſi Exlex in duplum, in latus, in ventrem, aut pedes obverſetur? Hinc nonnaturalis & æger partus Agrippæ dictus evadit, plerumque mali ominis, mortiſque prænuntius, & prodromus, conſuetudine vulgari receptâ ut mortui terræ mandandi pedibus primis & anterioribus è domo efferantur contrario

planè & oppoſito naſcendi modo. Cui obices, & repagula adhuc majora & ulteriora afferunt oſculi interioris, & cervicis uteri ſive naturalis, ſive contra naturam anguſtia, diſtortio, inflammatio, diſtendens tumor, caruncula, cicatrix à phimi, epiphimi, vel paraphimi curâ oborta, vitiata oſſium pubis conformatio Coccygis, & ſacri oſſium nimia & interior depreſſio, quæ quidem omnia moras adeo nectunt obſtetrici, & Chirurgo obſtetricio, ut ſpectatores otioſi & inertes, ineptive ἐργολάκτας ſpe omni futuræ parturiginis irritâ parturientis efflari, & avolare animam cogantur aſpicere, ut poſtea cæſo quamprimùm mortuæ matris utero prodeat miſellulus puſio ſacro confeſtim Baptiſmi lavacro imbuendus, quo carere ſi periclitetur, quidni in parente vegetâ, firmâ, necnon conſtantis æſtatis, & roboris cæteroquin omni aliâ præſidii ſpe deſtitutâ tentanda Cæſarea ſectio à perito & intrepido Chirurgo præſente Medico, qualis ſemel, & iterum fuit peracta in Collardâ muliere Caſtrithiericâ etſi bis ſectâ attamen adhuc vivâ & incolumi ſuperſtite, & pluribus aliis paſſim à Doctiſſimo Roſſeto recenſitis? Quæ quidem moleſta, & ærumnoſa, horridave parturiendi via hoc inſigne votum Medeæ in animum induxit, ſe malle ter acie inſtructâ ſub clypeo dimicare, quàm ſemel parere. His cunctis calamitoſis infortuniis ſi ἐπίμετρον & cumulus accedat lapideſcendi fœtûs rara licet facilitas, & infœlicitas, quæ mulieri cuidam Senonenſi nomine Columbæ Chatri Ludovici Carita veſtium ſartoris uxori aliquando contigit, quid certo certius hoc lemmate?

*Ergo Partus humanus ut plurimùm laborioſus.*

Domini Doctores diſputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Nicolaus B. de la Carliere, Medicus Regis ordinarius.* | *M. Michaël Pichonnat.* | *M. Joannes Daval.* |
| *M. Joannes Baptiſta Doye.* | *M. Franciſcus Picoté de Belleſtre.* | *M. Petrus Perreau.* |
| *M. Urbanus Leaulté.* | *M. Nicolaus Bailly Profeſſor Scholæ.* | *M. Bertinus Dieuxivoye Antiquior Scholæ Magiſter.* |

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS GUILLOT, Magniacæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.